



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ærumnæ D. N. Jesu Christi**

**Thomé <de Jesus>**

**Monachii, 1676**

Ærumna VI. Asperitas cæli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

me vinctes, ego te possidebo. Tu mecum te consolaberis, & ego me tecum. O quæ delicia? ô quos thesauros das tecum plorantibus? O verè beati, qui lugent. Facebant à me, bone Jesu, terrena solatia; lugeam, fleam in hac vita, ut me confoles tuo complexu in altera.

Æ R V M N A VI.  
Asperitas Cæli.

I.



CHRISTUS Dominus noster bellum contra peccata suscepit, non tantum ut ab iis nos liberaret, sed etiam ut relinqueret nobis viva exempla virtutis: unde perspicue cerneremus, & mala, quæ ex illis proveniunt, & modum, quo illa vitemus. Ideo se quoque armavit in vitia, quæ regnant in mundo, & in potiores usitatiorésque occasiones eorum, dando plura & majora exempla contrariarum virtutum, ut sunt humilitas, patientia, fuga voluptatum & eorum, quæ pluris æstimat mundus. Et quoniam amor corporis, & cura id bene habendi est una ex rebus, quæ plurimum occupant homines, ac præbent occasionem multis gravissimis peccatis; ideò Filius Dei in ipsa statim nativitate, ac tota deinceps vita sua sic tractavit suum sacratissimum Corpus, ut quisquis acriter se ipsum castigandi ac macerandi spiritum & robur habet, inveniatur in hoc Domino exempla copiosissima: qui verò tantum animi non habet, saltem in eo deprehendat, quantum timendus & cavendus sit crudelis hic hostis domesticus, ne propter illum bona æterna amittat. Una commoditatum corporis, cui multi majorem vitæ partem impediunt, est apparatus vestium & variarum inventionum ad propulsandas injurias, mutationes & asperitates cæli ac temporis, ut quod profus evitare non possunt, levius sentiant. Huc spectat curiosa inventio ædium, palatiorum, cellarum, aularum, hortorum, nemorum, fontium, piscinarum, vestimentorum, lectorum, conviviorum, musicorum, & plurima alia genera oblectamentorum, ad calorem, refrigerium, & diversionem sensuum ab eo, quod pati non possunt. Et ut ab heste benignè habito, aliud quàm dolus incum, cui subjectum esse oportuit, exspectari non potest; ita tyrannus

*Christus ab  
artu suo*

*Durus erga  
sanctissi-  
mum Cor-  
pus.*

nus



nus hic erigit caput, fitque dominus è servo, & facit ut parùm cogitetur de vita æterna, magni verò ducantur terrena & profana, pertinentia ad oblectationem & libertatem sensuum, & quidquid animam potest mancipare servitio corporis. Propter hanc licentiam & impudentiam mundi, ac grave periculum perdendæ animæ, SS. Patres, docti à Spiritu sancto, excogitârunt vitam communem in cœnobiis, ubi moderatio servatur in victu & vestitu, sublata omni superfluitate & luxu, datûrque occasio majoris asperitatis corporis, qui id volet affligere. Multi omnino recesserunt in loca deserta, ubi vixerunt sine domicilio, sine vestimento ac cibo humano. Alii totam vitam transegerunt in perpetuo jejunio; alii in æstu & frigore sub diò; omnes autê tam solliciti in abnegandis iis, quæ corpus desiderat, quantumvis necessariis; quàm solent homines mundani studere, ut ei satisfaciant ubicunque potuerint.

*Exposuit illud incommodis cæli.*

II. At JESUS CHRISTUS, divinus noster Magister, nascitur nudus, ut reliqui filii Adæ, sub tecto incommodo, frigidissimo anni mense, media nocte, tremens frigore sine commoditate vel munitamento. Cum ætate verò non mutavit vestem, quam ei fecerat Mater, utcunque pauperem, sed retinuit usque ad crucem. Non se recepit in æstuaria vel refrigeria, non fugit solem: & quia corpus habuit simile nostro, non minùs, quàm alii sensit hæc incommoda cæli. Dum se domi continuit, non habuit in ea, ubi vel contra æstum se tueretur in æstate, vel contra frigus in hyeme. Posteaquam cœpit agere cum hominibus, terra ipsi pro domicilio, cælum pro tecto fuit: & sacratissimum ejus corpus, barba & capilli exponebantur rori, glaci, pluviis, ventis, solibus, æstui & aliis molestiis comitantibus hæc incommoda, quasi peccatis suis promeritus esset, ut undique malè mulctaretur: ac veluti bene habitus esset de die, nocte egrediebatur vel in aliquem montium, vel in hortum, ut eam orando transigeret, ac patièdo dilueret pridianas delicias. Erat hic Dominus auctor & Conditor temporum, qui ad utilitatem hominum distinxerat eorum varietates; sed cogitandum est, eum ab initio statim iis delectatum fuisse, propter incommoda, quæ olim erat ab iis accepturus. Pro se ipso ergo jam tum fecit ardores æstatis & frigora hyemis, cum tota inclementia cæli, sibi reservando molestias dum hominum

procu-



procuraret utilitates, per abundantiam frugum ac fructuum, de quibus ipse vix aliquid percepit in vita.

III. Pulchram hic Societatem habent egeni, quibus defunt *Pro solatio* ea, quibus abundant opulenti. Et quamvis patiantur inclemen- *pauperum,* tiam temporum ex defectu munimentorum contra illam, ut etiam consueta & communia non possint habere; magnæ tamen prudentiæ Christianæ est, ex necessitate facere virtutem, recordando, quod S. Chrysostomus dixit, Deum magni æstimare amorem, & bonam voluntatem, ac proinde non pro minore obsequio acceptare, quæ quis necessariò patitur, cum amor ac desiderium serviendi ipsi ea obtulerit. Quod quidem non sine magna ratione sic dicitur. Etenim licet ea non possim non pati, non tamen minus proveniunt à manu ipsius, quàm alia quælibet; similiter & voluntas, ut ea velim suscipere ac pati. Ergo cum suscipio ac patior volens, non minus acceptat pro servitio, quàm cum aliam quamlibet bonam voluntatem, ab eo mihi datam, adimpleo. Imò, si hi pauperes haberent Spiritum DEI, se reputarent felices, quòd in eadem sorte sint constituti cum DEO suo; qui, licet nasceretur in populo, in quo plures erant justi, bonæque fortunæ, tamen elegit nasci, & esse inter pauperes, quales fuerunt ejus Mater, Joseph ac Pastores: quod egenis magno solatio est, cum possint inopiam suam sociare cum inopia Christi, & quidquid ex ea patiuntur, offerre, & pati cum ipso; quod magni est meriti. Quòd si verò tanti est virtus ex necessitate, quanti erit necessitas ex virtute? sine dubio deserta, *ex exempli* & monasteria repleta voluntariè pauperibus superflua refecanti- *sponte re-* bus, & asperè tractantibus corpora sua, in Christo non solum ex- *nuntiantii* *commodis* *vita.* emplum, sed etiam robur habent & animum ad omnia illa, quæ natura non credit se posse. Quia amor (qui, ut S. Chrysologus dicit, non solet caussari difficultatem, & impossibilitatem prætere- dere, ne agat, quod non placet) tantò majore animo res aggreditur, quantò sunt difficiliore, ac videntur impossibiles, ut quadam tenus similis fiat vero amico suo Jesu Christo. Hinc, ut Palladius recenset, aliqua sancte femina multis annis inter duos muros reclu- sã vixerunt, absque tecto; ac postmodum interrogatæ, quomodo potuerint hoc sustinere, non aliud respondere potuerunt, quàm

H

tantam



tantam esse pulchritudinem sui sponsi, ut non permiserit eas multum sentire, quod patiebantur, ut similes ei fierent atque placerent. Sanè si illi, qui vivunt inter commoda, nossent favores ac delicias spirituales eorum, qui deserunt mundum, longè recederent ab eo, quod faciunt pro suo corpore. Sed quia hoc est inter ea, quæ melius cognoscuntur ex usu, quàm verbis, ex hoc uno conijciant felicitatem piorum, qui patiuntur incommoda, quòd inter ea vivant magis contenti & hilares, quàm sint ipsi cum omnibus suis commoditatibus; adeò ut neq; unam horam, frigoris vel æstus tolerati socio Christo, cum omnibus oblectamentis mundi mutaverint.

*Imò & moderatè illis mentium.*

IV. Videri posset, hîc eos non habere locum, qui non sic inhiant commodis vitæ, ut ob ea Deum amittant, neque tamen ita sunt rigidi, ut omnia dimittant ipsius amore, ut sunt Reges, Principes, conjugati, & alii boni homines in mundo: habent tamen hi quoque magnam consolationem in asperitatibus Christi, dum vident eam esse benignitatem ipsius, ut, licet exemplum dederit summi rigoris, nullum tamen obliget ad imitandum: imò, dum patitur frigus & æstus, quo mereatur remedium malorum nostrorum, sinat eos uti commodis, modò maneant intra terminos amoris, quem ipsi debemus. Et quamvis in servitiis tyranni sui, corporis, multum operæ ponant; si tamen frequenter Sacramentis expient animum, virtutes statui suo convenientes exerceant, & habeant curam animæ suæ, ne tantum occupentur nisi in commodis corporis sui; potens est DEUS ex lapidibus suscitare sibi filios, è spinis rosas, & flores ex terra inculta. Est & alius modus, quo sibi Deum obstringant, ei pergratus: ut, cum vident tantum discrimen inter Deum & se, quoad tractationem suæ personæ, erubescant coram Deo, petantque veniam, & gratiam vitandi, quidquid impedire potest ejus amorem: quia Christus ita nos amat, ut magni faciat humilitatem cordis, & suppleat defectus nostræ naturæ abundantia verorum desideriorum amoris.

*Et ultrò subit judicium Adæ.*

V. Debitæ gratitudinis causâ prætereundum non est, quòd cum damnasset Adamum, ut in sudore vultus sui vesceretur pane suo; id est, sustentaret se ipsum non sine gravi labore & fatigatione corporis, quem laborem sudor vel maximè designat; quasi diceret



diceret ei, si noluisse acquiescere in felici statu paradisi, obedientiam reputans pro pœna; ergo quare deinceps tuam sustentationem cum magno labore, qui sæpe sine fructu abibit. Filius DEI, cuius erat salus animarum, voluisse videtur eandem legem subire, <sup>Ad sudorem vultus</sup> ut cum sudore vultus sui, quod quærebat, acquireret in multa <sup>si damna-</sup> fatigatione, æstu & frigore, sicut alii filii miserabilis Adæ. Sed ô dolor! alia super illam ærumnia ipsi à nobis oboritur, dum apud multos in vanum laborat, ut pro fructu vitæ metat earum damnationem æternam. Solus ille, qui scit fugere calorem & ignem amoris terreni, ac nivem & glaciem tepiditatis in amore Divino, laboribus Domini respondet fructu optato: quia, cum hæc duo mala infederint animæ, plus Domino molestiæ pariunt, quàm fuerit perpeffus in terra: quia voluit ea pati solum ideo, ut corda nostra provocaret ad sercipiendum in anima, ubi nullum genus oblectationis recusat: quia nulla oblectatio, quam exhibeat magnus amor, terminos aut limites potest habere.

## EXERCITIUM.

## De Incommodis Domini.

## I.

**O** Teneritudo DEI, quomodo non emollis duritiem hujus mei <sup>Amoris Di-</sup> cordis, ut sciat amare & extollere tot inventiones, quas tuus <sup>vini admi-</sup> amor Divinus adinvenit, ut demonstraret, quantus erga me sit? <sup>ratio.</sup> quomodo sufferre potes, Domine, animæ meæ, ut inter tot ac tanta incendia tui amoris, anima mea frigeat & congelet? Noli permittere mi bone Jesu, ut ingens amor tuus, qui otari non potest, solum occupetur in te: manda illi Domine, ut me quoque accendat, & exferat in anima mea vim suam. In hujus cordis duritie erit abundè, quod agat; etsi in illo habeat suum effectum: ego totus inflammatus ero, ac tu magis glorificaberis. <sup>Adoratio.</sup> Adoro te, Divine Pusio; amo te summum bonum meum, his membris opertum. In omni re magnus es, Domine, & in omnibus te mihi similem exhibes; nec possunt hæc membra tenella abscondere divitias bonorum tuorum. Solum corpusculum est infirmum; sed quid in te non summum est & mirabile? quid facies, JESU, animæ meæ,

H z

quando



quando hæc membra creverint, & robur habuerint ad patiendum, si jam, cum natura postulat aliquid munimenti contra frigus, ipsa tam rigidè tractas? Video sacratissimum ac tenerrimum corpusculum tuum consumi frigore, Divinâ tuâ providentiâ nihil id mitigante, vel infringente ejus acrimoniam in nocte tam frigida. Video Matrem pauperulam, quæ vix habet, quo te involvat. Video tugurium ita patens & lacerum, ut nullus in eo sit angulus, quo defendaris. Non video autem scintillam ignis, quo possis foveri; sed quidquid video, merus defectus est, & inopia omnium rerum. Benedictio & laus tibi sit, opulentia cæli! Sustine jam hæc ô bone JESU; quia toto reliquo tempore deges in laboribus pro mea salute. Sed hi sunt febriles ardores amoris tui, qui nihil tibi quietis concedunt. Corpus patitur frigora, mutationes aëris, varietatem temporum: sed anima & divinitas ardent vivis flammis amoris. Neque tu similis es iis, qui paucis contenti, si quid boni cœperint, imperfectum relinquunt.

*Christus ab initio mundi sibi destinavit incommoda.*

II. Tu, spes cordis mei, vitam tuam transegisti sine munimento contra frigus, aut æstum, sine mutatione vestium variante celo, sine omni commoditate. Semper Domine tibi placuit asperitas, quam tantopere nos aversamur: quoties tibi, Domine mi, dies ortus est oculis lividis, & facie pallida à frigore noctis? quoties comparuisti manè cum sacro tuo capite, barba, veste alba ex pruina & gelu? quoties tua purissima caro præ calore suo sudore se proluit? Et quia novi omnia provenire ab infinita & æterna bonitate & amore, quem erga nos habes; cogito de his tuis visceribus charitatis, quòd, dum creares mundum pro nostra habitatione ac sustentatione corporis nostri, ac disponeres temporum vices, hyemi frigus, æstati calorem, rigorem ventis tribueris ideo, ut olim te vexarent: quia jam tum cogitabas venire ad succurrendum nostris miseris, quas oportebat nos sentire ab intemperie locorum, ac temporum varietate. Statim igitur à tua Nativitate, quasi qui desiderat frui rebus à se factis, pateris tormentum frigida noctis: ac tanto cum gustu & alacritate aggredere incommoda, quæ tibi præordinasti, quantum homines mundani gaudent frui hortis, & aliis recreationibus inordinatis.

III. O



III. O fidelissime amator animarum, ô Magister vere supernæ puræque veritatis, ô fidissime Sodalitæ pauperum, & afflictorum peccatorum, quàm longè abest à te præceptum sine opere? Dum tu non loqueris, loquuntur pro te opera tua. Bene vides, ô bone Jesu, quantum temporis adimat mihi cura commodorum hujus miserandi corporis, veri hostis animæ meæ; vides ut impediatur memoria rerum interiorum, dum sibi me occupat totum, utque illi ego in omnibus, quæ cupit, obediam, etiam cum periculo te amittendi, & vivens inter brachia hostis tam malitiosi, astuti, fallacis & periculosi, nulla in re desim ejus cupiditati, & nihil nimium reputem, quod ipsi sit gratum. Video quàm parùm proficiam omni conatu meo, & quò plus ei præsto, hoc amplius mihi præcipit, insatiabile: quantò magis id foveo, tantò magis me fatigat: cum puto illi satisfactum, tum amplius lamentatur; & cum peto ab eo mercedem, non aliter solvit mihi, quàm me separando à te, ô summa mea felicitas! & hanc miseram animam meam abjiciendo ad indignissima quæque. Non potest ferre, ut quidquam tui servitii me distineat, quo impediatur ipsius libidines. O Cognitor miseræ meæ intimæ, quantum hic habeo deplorare & queri! O vera vita hujus miserabilis animæ! Parce, Domine, & non irasceris mihi. Mala, quæ in servitio corporis hujus patitur infelix anima mea, solus tu scis: ut me irretiverint, tu solus intelligis: quod etsi per totum tempus meæ vitæ deplorem, habeo semper causam plorandi: utcunque me expies, habeo semper, quod metuum.

IV. Adjuva me, Domine, contra me ipsum; quia scis quantum habeam timere pro tempore, quod magis in corpore, quàm te curando insumpsi; quantum erubescere etiam pro illo, quo te cum gratia tua aliquo modo quæsivi. Nam ô bone Jesu, speculum & amor animæ meæ! quando plus feci tuâ causâ, quàm pro corpore mundani homines facere soleant? Non habent modum luxûs & inventiones ædificiorum, vestium & commodorum, ad declinandum calorem & frigus, ut defendatur corpus, ne sentiat molestias temporum. His quidquid imperditur, æstimatur modicum; licet omnia consumantur, & egeant pauperes viduæ



& orphani, cultusque Divinus habeatur neglectui. Et ego cum aspirante gratia tua te quero, & recipio in anima mea, quale in ea tibi coenaculum instruo? quate puritate excipio? o Bonitas infinita, tam larga in me sufferendo: tam copiosa in condonando; cum pluris sit una hora consolationis tuæ internæ, quam omnes deliciae totius mundi simul, quanto plus facit ille pro falsis oblectationibus, quam ego pro veris! vita cordis mei, obmutescit & erubescit anima mea: sana Domine dolorem hujus tuæ creaturæ, quam tantum diligis. Tu solus es, qui ex tua parte facis omnia, sed ego semper mei sum similis. Pro corpore meo facio omnia; pro te verò parum omnino. Mala mea magna sunt ad mensuram cordis mei perverfi; bona verò perexigua. Tu solus, Domine animæ meæ, magnus es in omnibus: magnus in patiendo, magnus in te affligendo, magnus in me amando, in condonando, in dissimulando, & in magnitudine tua accommodanda meæ exiguitati, dum me non obligas ad faciendum, quantum tu facis: permittis me curare corpus, tantumque præcipis, ut amem te.

V. O quando veniet hora, quâ magno labore languorem corporis mei compensem! O Divine Amor, magnus in omnibus, accendere in isto corde, & operare in eo tua mirabilia. Da mihi dominium super hanc carnem: & si ego non tantum possum ferre in ea, quantum tu pateris pro me, saltem da mihi tantam famem tuî, ut nunquam satier, & ut ego multum saltem desiderem, dum tam multum tu facis. Tolle à me omne superfluum: doce me non plus dare huic meo inimico, quam opus est: muta in me omnes cogitationes, quia bene occupantur solum in te. Verte ex hac hora in perpetuum, Domine, cogitationes hujus animæ: suscipe tu curam rerum mearum & da mihi, ut totus sim tibi intentus. Quid possum extra te velle, o vita mea, quod bonum sit? quid poterit mihi deesse, si te solo me impleas? o malè perdita vita, quam consumpsi extra te! Tu es vera quies hujus animæ, verum remedium necessitatum mearum, securum refugium in meis ærumnis; unicus & verus Pater, qui me sustentas. Igitur o vita cordis mei, quomodo te solo contentus non sum? Aperi, Domine, hoc pectus meum: sana hanc tuam creaturam; quia, qualiscunque sim,

tuus



tuus sum. Et quia sum tuus de jure, cupio etiam posthac esse ex mera voluntate, & amore & gustu.

VI. Sed, ô Domine animæ meæ, & spes mea & vera quies mea, quid te magis cruciat; frigusne, quod pateris, an gelu & frigus animæ meæ? Doce me, Domine, ut te intelligam, & satisfactionem tibi. Scio bene, quod acerbiter hujus frigoris patiaris pro malis istius cordis mei nimium delicati: magno cum gustu suffers incommoda frigoris hujus & intentas mihi sagittas amoris, si me cum tepido corde invenias: ô infinita misericordia, quid me fiet, qui non memini vel unam horam hujus vitæ abiisse, qua flagraverim igne tui amoris? Tu Domine toleras frigus & æstum, sicut viator, qui sperat se recreatum iri, cum venerit domum: & quando venis ad istud por, conditum propter te, tanquam in domicilium, ubi quiescas, velles invenire bonum receptum, cum foco & aliis fomentis. O qui te semper exciperet puro amore! ô qui suo tepore te non abigeret! & quid magni est, dum hoc petis à me, qui eadem erga me lege es usus? Fecisti me Deus meus, propter te, & ordinasti ut cor meum sit inquietum, donec requiescat in te: voluisti esse domus recreationis animæ meæ; misisti me in hoc exilium, ut possem tendere & venire ad te; & sic vis me durare in fatigatione hujus vitæ, sicut eum, qui facit iter per regionem aridam & sterilem: non sinas me deficere. Video, quod me jam expectes: mox ergo me consolare, mox me sustenta, mox ostende, quod in te solo sit verum bonum & requies mea. Quod si quando dissimulas, ideo facis, ut postea majore gustu ac suavitate te fruar. Tam autem es æquus, ut eadem lege vicissim uti me velis. Nam in me solo vis habere tuum receptum, in me solo quiescere, mecum solo te recreare: tantum id sentis, si reperias cor meum, & domicilium animæ meæ, occupatum alio amore & frigidum, sine tuo. Si apud me locum invenias, omnes ærumnas bene collocatas existimas: sin occupatus fuerit, hoc tibi solum est molestum. O mi amor, & pulchritudo mea, & gloria mea, quoties pulsasti fores meas, & ego non aperui? quoties nolui te audire? quoties subeuntem limina mea iterum expuli? quoties, ô felicitas mea, te permutavi cum meo exitio. Cur igitur vivo Deus meus, si non propter te

vivo

*Christus  
plus dolet  
frigore cor-  
dis nostri,  
quàm aurâ.*



vivo? Fini tandem, Domine mi, istam miseriam; & quia needum cessas tentare aditum in hanc animam, fac, ut te excipiat, sicut oportet.

*Invitatio  
Christi in  
cor hominis.*

VII. Veni, spes mea! veni, salus mea! veni, gloria mea! depelle malos incolas hujus animæ, quia tua est habitatio. Accende in eâ focum tui amoris: obsera eam, nec sine me facere in ea, quod mihi placet: finge me totum ad voluntatem tuam. Non mihi fidas, Deus meus; nosti bene, quòd positus coram te, sim dives promissis ac desideriiis; at in digressu tardus ad præstandum, & frigidus in te amando. Fac tu, Domine, opus tuum; quia nihil boni possum habere, nisi per te. Non pereat, vita animæ meæ, hæc opera tua per meam malitiam: restitue, quod eversum est, ac destructum: lucrare quod perii: glorificare in creatura tua: regna in regno tuo: occupa domicilium tuum, & simul me duc tecum, Dominus meus, & Deus meus, perfecta felicitas mea.

*Cor nostrum  
Christi fert  
spinas.*

VIII. Fac ô unicum bonum & refugium meum, ut cognoscam perfectè, quantum tibi debeo. Tulisti sententiam in Adamum, ut in sudore vultûs sui, & labore corporis sui quærat panem suum; ac sæpe, cùm seminârit frumentum, pro eo colligat spinas. Et tu verus meus Adamus, verus pater meus, qui nunquam suaviolem cibum gustâsti, quàm cordium, quamvis bene scires ea tibi vertenda in spinas, voluisti tamen subire rigidam illam sententiam; sed laboras, sudas & alges pro me. Et quid lucraris, Domine, ex nostro amore? Sed ignosce mihi, Deus animæ meæ, quòd velim plus scire, quàm quod tu ita velis. Et si aliud non vis, cur igitur te non amo? Multum mihi tribuis, Domine, me amando; multum, à me volendo amari: & nescio utro istorum plus tribuas mihi: ô amorem, qui tantum me amas ac tantum facis, us ameris à me; quid te impedit, quin facias id quod vis? quomodo possum amare te sine te? Jubes te diligi: da quod jubes, & jube, quod vis. Combure tribulos & spinas hujus animæ, quæ tibi creant laborem: proscinde cor hoc terrenum, infere tuum divinum amorem: absolve hunc meum teporem & habebis statim, quod cupis. Posside me totum, ut aliud non sciam, quàm gemere & plangere. Aperi tu tuos thesauros: quia tu omnia potes, ô amor, ô amor, ô amor, ô verè Amor!

O Mater



O Mater DEI, mundissima hujus Domini habitatio, quæ multò magis eum fovisti interiùs, quàm potueris foris. O thesauraria istorum omnium; impetra mihi ab illo, quod petit à me: quia scis, me sine ipso non invenire salutem. O supernæ habitationes, ac domus cælestes, purissima corda, in quibus Deus quiescit! recordamini, vos etiam peregrinos fuisse: miseramini constitutos in periculo, & impetrate mihi à Domino, qui regnat in vobis, ut me quoque faciat sempiternum suum habitaculum. Amen.

## Æ R V M N A VII.

## Circumcisio.

## I.



Oluit Christus Dominus noster multos dies transire post Nativitatem suam sine dolore & sanguine, quo dedit primitias ejus, quem copiosè quondam effusus erat, & Patri oblaturus pro nostro remedio.

Atque ita octavo die vitæ suæ, quo præceperat olim Deus Abrahamæ circumcidi omnes pueros, ei legi submitit se ipsum, cujus fuerat auctor. Multa erant, quibus eximeretur ab illa. 1. quia lata fuerat in protestationem Fidei Messiae venturi, quem exspectabat populus Israëliticus, per circumcisionem contestans, se vivere in Spe, Fide, & Amore Salvatoris venturi. Sicut igitur Christus erat ipse, qui exspectabatur, ita non habebat, cujus Fidem ac Spem profiteretur circumcisio. 2. Deus Abrahamo dedit hoc pro tessera & nota fœderis, quod inierat cum ipso, ut omnes posteri ejus, descendenti ab Isaac, essent populus DEI peculiaris, quem ipse ex omnibus gentibus elegerat pro populo suo, & à quo ipse haberetur pro Deo suo, ceteris ob idolomaniam rejectis. Cum ergo Christus venisset ad vocandas sine discrimine omnes gentes totius mundi in unum ovile, & salvandos omnes, qui vivere & mori vellent in sua Fide & dilectione; non erat, cur susciperet notam ejus fœderis & contractus, quem velut ejus Auctor volebat laxare & immutare. 3. Per circumcisionem corporis Deus obligabat illos, ad amputandam duritiam cordis, & malas inclinationes,

*Christus circumcisus*

*est*

*non vi Legis.*

I

adversantes